



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. Quomodo procedendum sit contra infamatum de mrimine,
negligentem famam suam, sive se purgare ab infamia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

dando scilicet, consulendo, aut aliter favore, vel auctoritatem tribuendo, nec suo nomine factum, ratum habendo: & quamvis Episcopus, ordinariè jurare non debeat tactis sacris Evangelii, sed sufficiat, si juramenti illi præstandum sit, ut juret præpositis Evangelii coram se, in hoc tamen speciali purgationis casu vult Pontifex, ut juret tangendo Evangelia. Secundò, ut habeat certos compurgatores, viros honestos, qui sint bonæ opinionis, & jurent de credulitate, sive jurent credere se, quòd verum juraverit, qui se Canonice purgare debet, prout paulò post pluribus dicetur.

§. IV.

Quomodo procedendum sit contra infamatum de crimine, negligentem famam suam, sive se purgare ab infamia?

DE hac materia in *cap. Si quis 2. h. t.* & in *cap. Inter sollicitudines 10. eod.* statuitur, ut si quis de crimine (quod permanens & successivum est) infamatus sit, ipse tamen famæ suæ negligens infamiam hanc insuper habeat, Episcopus contra eum inquisitionem instituat, ut de infamia certitudo habeatur, & si desit accusator, ter legitime juxta sanctiones Evangelicas monitum, si se non emendaverit, ab officio suspendat, quo usque se purgaverit ad arbitrium Iudicis, ne populus in eo scandalum patiat. Si verò crimen, de quo infamatur, momentaneum sit, & ex integro jam præterierit, nihil opus est monitionibus præviis, quæ in ordine ad emendationem in tali casu

frustraneæ essent, sed potest Iudex infamato, si legitime constet de infamia, statim indicere purgationem Canonice, in qua si deficiat, tanquam convictus (præsumptivè saltem) condemnari debet.

§. V.

De compurgatorum qualitate, juramento, & numero.

OMnia hæc ex dictis jam colligi possunt: primò scilicet, quòd compurgatores hi debeant esse viri honesti, probatæ vitæ, & qui notitiam illius habent, cujus sunt compurgatores, *cap. Cum dilectus 11. h. t.* (ut ne occasio detur, aut periculum sit perjurii) qui sint vicini, *cap. Cum dilectus 11. h. t.* tolerati ab Ecclesia, neque in judicio propter crimen condemnati, *cap. Constitutus 9. h. t.* ejusdem ordinariè, cum purgando, ordinis, Episcopi scilicet, si sint Episcopi compurgatores, Præbyteri, si pro Præbitero compurgatores sint, Clerici, si pro alio Clerico, &c. vel si hi desint, & haberi, aut admitti non possint, alij etiam, tam viri, quam femine admitti possint *argum. cap. Cum in juventute. 12. h. t.* & juxta *Glossam in canon. Clerici 32. V. aliqui. dist. 81.* Jurare autem debent hi compurgatores de credulitate, sive quòd credant secundum suam opinionem, & conscientiam, verum dicere eum, qui suam infamiam purgat *cap. de testibus. 13. h. t.* ad cavendum periculum perjurii, si de veritate jurare tenerentur. Ad numerum denique compurgatorum quod attinet, varius ille pro diversis purgationibus fuit, prout jura antiqua ostendunt, nunc